

1159

CODICES

1160

*scopis &c. Vineam domini sabaoth multiformes moluntur bestie demoliri &c. Indictio est Concilii Lateranensis IV. ab eodem Innocentio a. 1215. prout habetur una cum mox relata Epistola Concc. Labb. T. XIII. edit. Venet. col. 909. pariter sectionem passa.*

Adscripta demum est brevis Disquisitio de Peccatis et irroganda Poenitentia, quae incipit: *pro adulterio. fornicatione. periurio. homicidio manifesto. debet iniungi Septennis penitentia &c.*

CCCCLXX.

U. 630 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 281. f. maj. per duas columnas angustas marginibus latissimis luculente exaratus, et coloribus illustratus est nobile Exemplar IV. Librorum Sententiarum Petri Ep. Parisini a Patria dicti Lombardi, qui a. 1164. excessit, quanquam Librarius nomen ejus nusquam adnotaverit. Libri singuli Distinctionum Rubricas praefereunt, ut v. g. in Edit. Lovan. 1546. f. Itaque Liber I. orditur: *Omnis doctrina est de rebus uel signis. &c.* Textus vero ipse a Prooemio: *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra &c.* Atque hinc incipiunt Notae marginibus currente quidem, sed ejusdem aevi calamo non parce adscriptae, et toto Volumine productae. Ad totius Operis calcem, quod rite definit: *ad pedes usque via duce pervenit*, legas: *Secundum magistros parisienses Magister in sententiis declinavit a communibus opinionibus*

*Magistorum*, et adferuntur Declinationes secundum omnes IV. Libros numero 30. Duplo igitur plures, quam Editionibus adjectae titulo: *In quibus Magister non tenetur*, reperiuntur.

CCCCLXXI.

09 Codex membranaceus lat. Sec. R. 2294 XIV. Folior. 199. f. per duas columnas admodum eleganter perscriptus, rubricis comtus, et prius *Monasterij sanctae Dorotheae Virginis in Vienna*, aliud est praecedentis Operis Exemplum perpetuis Notis marginum illustratum, in cujus Theca antica recensentur ea, *In quibus magister Sententiarum non tenetur*, subjuncta hac Notula: *Anno 1153. Tempore Fridrici Imperatoris sub quo erat scisma. Qui eciam in Armenia in ripa submersus est, liber sententiarum compilatus est per petrum lombardum parisius, et Indice alphabetico; in postica vero legitur: Emi a magistro Jo. Hesse tunc vicario Episcopi Ratisb. pro 8. florenis ungaricis sub partu Redemptionis Anno. Domini. 1438. Barbare virginis.*

CCCCLXXII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3284 XIII. Folior. 260. f. pereleganter exaratus, minio pernotatus, et olim Coenobii Gärstensis O. S. B. ad Styram super. Austriae, Libros IV. Sententiarum Petri Lombardi habet, quorum duo saltem prima folia ita exciderunt, ut nunc ini-